DE VESTITU HUMANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE VI. MARTII A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

B. C. FERRARI,

PADERANO - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. BLUMENSATH, MED. ET CHIR. DR.,
F. PUELLENBERG, MED. ET CHIR. DD.,
L. VAGEDES, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRI OPTIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO,

AND. FERRARI,

HASCE

LITERARUM SUARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Inter omnes res, quibus genus humanum ad cultum utitur, imprimis sane vestes commemoratione sunt dignissimae. Illae enim sunt, quae vim saluberrimam in corpus humanum atque mores mortalium possunt exserere. Quantum vero ad sanitatem hominum, donum illud divinum atque maxime exoptandum, bonosque mores, et ita ad ominium fortunam conferunt, tantum etiam, id quod experientia quotidiana satis docet, nocere possunt, atque omnia medicorum studia, quae ad conservandam atque restituendam sanitatem spectant, ad opus irritum reddere. Quae quum ita sint, ac vestes in usum omnium necessario venerint, consilium cepi, de hac tanti ponderis materia, quantum ex viribus meis possem, aliquid proferre. Neminem arbitror esse, qui hanc rem nimis vilem putaverit, quam ut ad speciminis inauguralis argumentum eligeretur. Si quis vero erit, qui hujusce sententiae sit, is in omnes cujusvis generis homines, et ad mulieres, et ad viros oculos modo convertat, atque, quanta detrimenta ex vestium noxiarum ac minus utilium usu capiant, videbit.

Hoc vero specimen tenue, lector benevole, si aliter, ac speraveras, prodierit, gratiose mihi condonabis.

AUCTOR.

Cunctis, quae terram nostram inhabitant, bestiis natura dedit tegumentum, quo a periculis gravibusque tempestatis injuriis defenderentur: sic alias pelle, alias plumis, alias testis donavit; — ast vero homo, omnium animalium princeps, hoc respectu a natura omnino fere neglectus esse videtur. Sed homo alieno non eget tegumento, si pellem et plumas testasque aliena tegumenta velis nominare. Partes adeo maxime sensibiles, ut sinum, faciem, collum atque manus, intectas habere potest, sicuti etiam revera magna pars hominum nuda incedit, nullo sanitatis damno laborans. Nos quoque, uti omnes excultae, quae vestimentis utuntur, nationes, ope consuetudinis quodlibet paulatim abjiceremus vestimentum, et singula deinceps membra corporis sine valetudinis detrimento nudare possemus. Primos homines utrum verecundia, an aliae animi affectiones, obtegere nudum corpus, et ita primum omnium futurarum vestium ponere fundamentum, impulerint, de hac re omnium temporum philosophi diversa protulerunt. In statu feritatis, quidam contendunt, fore, ut homines maxima ex parte, imprimis in tergo, crinibus essent obtecti, eosque esse tegumentum, cujus de penuria Plinius major tantopere objurgaverit naturam. Natura vero, benevola illa curatrix, homini longe pulcherrimum praebuit velamentum, mollem scilicet nec tamen non duram cutem, quae cujuslibet anni temporis injuriis atque omnis climatis mutationibus valet resistere,

arte aliqua, altera hujus creaturae natura, adjuvante. Ad hanc vero artem non solum nuda indigentia, sed potius, quod ad humanitatem et pulchritudinem nobiliorem spectat, alma pudicitia, adducat eum necesse est, quae, quamquam nonnulli philosophi aliam protulerint sententiam, hominis naturae prorsus conveniens est. Noscimus paene nullam etsi omnino inexcultam nationem, quin, praecipue in mulieribus, ab illis annis, quibus instinctus sexualis incitatur, magis vel minus quoddam amet velamentum; propterea quod sensibilis etiam multarum humani corporis partium mollitia, sicut alia, quae occurrunt, ut anni tempus, tempestas, morbique poscunt velamenta. Hominem igitur, priusquam alia membra adversus elementorum furorem, insectorum ictum, aliaque damna tueri vestibus aut unguentis studebat, genus quoddam oeconomiae naturalis instinctus celerrimi atque maxime necessarii adducebat ad usum velamentorum: quo modo vestes homo accepit, et ita sensim sensimque, profecto quod dolendum est, varii non raro tam noxii orti sunt vestitus, qui, sanitati corporisque pulchritudini tantopere nocentes, atque continuo sese movendi, id quod saepe haud vitandum, obstantes facultati, nostra etiam aetate vim in genus humanum perniciosam exercent. Mos detestandus mutabilis, alias semper vestes sibi parandi, eripere homini sanitatem liberumque membrorum usum magis semper magisque velle videtur. Potissimum hunc morem plurimum valere observamus in feminis, quarum vestes modo longitudine, modo latitudine crescunt, modo medium versus admodum coarctantur, ut superne sinus, sicuti inferne surae magis magisque appareant; modo supra, modo pone, prout mori placet, excrescentia accipiunt. Externam istae diligunt venustatem, quam in vestibus ad morem spec-

tantibus quaerunt, cum venustas filia nonnisi sit sanitatis, atque amittatur, si pernicioso vestiendi more perditur. Mos vero suas nimis coercet servas, quam ut benevolis Aesculapi vocibus, quae precibus maxime urgentibus, vividissimis descriptionibus atque adhortationibus cognoscuntur, aurem praebeant.

Vestimenta ad illas varias res pertinent, quae consilio vel casu fortuito externis corporis partibus admotae ad procreandos morbos tantum conferunt. Nocere possunt partim non per se, si vim aliarum rerum, quae nocentes occurrunt, non bene removent, partim per se, imprimis vi mechanica, et quidem majore pressu. Si vero vestimentorum vim, quam exercent in corpus humanum, recte velis dijudicare, eorum proprietates antea debent cognosci, quum de hac re cetera omnino dependeant. Hae vestium proprietates, indeque etiam earum in corpus nostrum vis, diversae sunt quoad substantiam, qua constant, quoad structuram atque formam.

Si substantiam atque structuram respicias, vestes. Primo distingui possunt respectu diversae densitatis atque laxitatis. Secundum diversum hujusce utriusque proprietatis gradum minima cutis vasa magis vel minus intercludunt, vel premunt, vel conducunt exhalationi, quin imo eam supprimunt: quae omnia et in sano et in aegroto corporis nostri statu gravissima a medico praecipue acurate respici debent. Hic imprimis notandum, importuniorem vestis aestivae et hibernae commutationem, vel obtegendi et nudandi singulas partes, nocere organismo posse: qua in re vero permultum valet consuetudo. Jam *Sanctorius* in Aphorismis suis contendit, fore, ut sexcentos morbos autumnales effugeremus, si vestibus hibernis maturius uteremur; *Sydenhamus* vero, maturum vestium aestivarum usum, sicuti refrigera-

tionem plurimarum febrium esse causam arbitratus est. Nimis facilis corporis vestitus, imprimis vero pectoris atque colli, quo nostrae aetatis feminae creberrime utuntur, valetudini maxime nocet, praecipue si ejusmodi homines unicuique humido, nebuloso, aspero frigidoque aëri vel aliis rebus, quae advocare possunt refrigerium, sese exponunt. Neque minus nocet vestitus nimis immodicus, sicuti et tum, si hic anni temporibus ac tempestati non prorsus conveniens est. Qui cute sensiliore cinguntur, illi vel a minimo aurae frigidioris afflatu erysipelate laborant, et ipse vestium, quibus superficiem ab atmospherae injuriis solicite nimis defendimus, abusus, ac major ab isto ad cutem inducta mollities, non parvam impetiginum, quae pellem humanam prae aliis defoedant, rationem in se continet. In propriam perniciem sexus sequior in urbibus delirat; dum vestibus, sub coelo his minime favente, tenuioribus, ipsi adeo pudicitiae, et cutis functionibus tam adversis, sanguinemque, ab ampla pellis superficie interna versus cogentibus, vix indutae, frigoris sese injuriis ultro exponunt, corpusque, viribus jam nimis infractum, ulterius infirmare, ac futurum generationis ad opus ineptum reddere, profluviis uterinis exponere, etsi tot exemplis funestis admonitae, non desinunt. Ex his quoque, sicut multorum morborum, ita et haemorrhoidum in dies apud sexum sequiorem frequentiorum scaturiginem satis explicare possumus. Tenuis vero vestitus eo periculosior est feminae, menstruatio si mox apparebit, vel adeo forsan adest. In universum in hac re mala diaetetica quarundam matrum pro filiabus menstruorum tempore cura debet castigari.

Quod vero ad vestium proprietates respectu substantiae atque structurae praesertim attinet, imprimis nobis hoc loco sermo est de vestibus ex

variis materiis comparatis ac potissimum solitis. Vestibus linteis parum proprii caloris inest, ac plerumque ipsae admodum densae; unde quoque calorem corporis nostri atque exhalationem augent, hanc vero penetrare atque avolare non patiuntur. Quae haud penetrata perspirationis materia ut liquor stillativus in epidermide praecipitatur; tum quoad naturam corrupta atque ingrata facta inflammationem adeo pluresque alios morbos advocare potest. Vestes laneae calore proprio lenique superficiei asperae frictione calorem, electricitatem corporis nostri atque exhalationem adjuvant, et exhalationem non reprimentes perspirationis materiam penetrare propter minorem densitatem patiuntur. Inde etiam vestes laneae in diversis morbis partim resolvens, partim derivans remedium adhibitae in iis casibus permultum profuerunt. At vero et hac ratione earum momentum non supra modum habendum est; etenim et nocere possunt laxando cutem atque irritando. Quod denique ad vestes xylinas attinet, hae inter lanearum atque lintearum vestium efficacitatem medium tanquam tenent. Vestes nempe xylinae calefaciunt, exhalationem adjuvant, exhalationis vero materiam propter majorem densitatem non sinunt penetrare. Quare minus noxiae, quam sunt vestes linteae, attamen non tam utiles, quam laneae.

Quoad substantiam atque structuram distingui vestes possunt Secundo ratione facultatis, vim electricam accipiendi, vel retinendi, vel etiam modo derivandi. Corpori nostro inesse scimus vim electricam, quae modo augeri, modo minui, vel interdum etiam moveri nonnisi debet, prout res postulant. Vestes sericae prae ceteris hic memorandae sunt, quae, mitem in cutis superficie irritationem moventes, succosque advocantes, calori atque exha-

lationi prosunt. Ut corpora idioelectrica augent quidem corporis nostri vim electricam, sed non derivant. Pars, iis vestità, ut in continuo electrico balneo sit efficiunt, id quod in nonnullis etiam morbis e. g. in arthritide, utilissimum est. Vestes e pellibus animalium confectae pari modo propter majorem proprium calorem vimque electricam in iis morbis, in quibus vis electrica, calor animalis atque exhalatio debent augeri, valde conducere possunt. Ut unum tantum proferam exemplum, hydrops anasarca pedum solo tibiali e pellibus animalium comparato, quo pedes obducuntur, omnino saepius curatur. Vestes, e cerato panno serico tenuiore confectae, item calorem animalem, vim electricam et exhalationem admodum augentes, parti, ipsis vestitae, continuum vaporum balneum praebent. Ceratus pannus sericus tenuior resolvens etiam remedium usurpatur, ac praecipue in arthritide magna cum utilitate adhibetur.

Quoad substantiam atque structuram vestes quoque distinguendae sunt Tertio respectu facultatis, morbi materiam suscipiendi, retinendi, vel depellendi. Ut regula universalis hic accipi potest, ut lana, quam praebent animalia et erioxylon, inter omnes substantias, quibus ad vestes parandas plerumque utimur, maximam inclinationem, morbi materias suscipiendi ac transferendi, habeat. Quam ob rem potissimum cavendum est a talibus laneis vestibus, quibus contagioso morbo laborans antea usus est; tum etiam caveas, ne illis utaris, neve tuis ipsius vestibus, vel aliis haud procul a nobis rebus eas diu adjungas: qua ratione longe praestat, suspectis ejusmodi vestibus nequaquam uti. Attamen si ipsis uti velis, omnem antea providentiam adhibe, ut contagii removeas materiam; quem in finem in loco aperto suspensas aëri ventisque expo-

nas, vel etiam contagii materiam iis adhaerentem modo chemico studeas delere, cui negotio variae praecipue inserviunt fumigationes, praesertim oxymuriaticae, sic dictae *Guyton Morveauianae.* — Huc praeterea pertinent vestes pelliceae, tum propter materiam, tum structuram atque formam nocentes. Vestes scilicet pelliceae densae sunt atque in superficie maxime iniquae: quam ob rem irritantes, succos adliciunt et exhalationem caloremque animalem nimis augent. Vestium pellicearum elementa conjunguntur cum perspirationis materia, quae inhaerere iis longe potest modo perniciosissimo. Vestes pelliceae inter omnes, quibus ad vestes utimur, substantias quam facillime morbi materiam accipiunt. Vestium pellicearum et imprimis galerorum pelle munitorum usus forsan causa est cum aliis simul agens plicae Polonicae, in ea regione tantopere propagatae, etiamsi humore tantum pilos faciente cohaerentes per galeros pelle munitos tam facile ea propagetur. Ejusmodi praesertim materiae contagiosae, naturae magis fixae, ac praecipue aegrotorum ipsorum vel vestium ab illis infectarum contactu sese propagantes, e. g. pestis, post longum tempus, atque adeo post annos, in vestibus e pelle vel lana confectis inficientem ostendere possunt indolem. Vestes e linteo cerato paratas in morbis contagiosis ab infectione optime defendere, atque, quominus contagionis materia ope vestium latius sese extendat, praecipue impedire, et inde iis in casibus bono eas adhiberi successu, adnotandum est.

Fieri quoque potest, ut vestes insectis, venenis aliisve materiis detrimentosis atque impuris sint infectae, et ita organismo humano damnum periculumque adferant, id quod multis nec raro tristibus exemplis, in multis adhuc classibus mortalium quotidie occurrentibus, experientia docet.

Quod ad universalem vestium formam attinet, hae sunt vel nimis arctae vel nimis laxae, et utrumque adfert incommodum. Vestes arctiores, propterea si haud aequaliter sedent, pressum efficiunt immodicum, quo musculorum impeditur efficacitas, vasorum coarctationem, succorum circulationi impedimentum, eorumque a loco compresso derivationem, atque saepissime ad alias nobiliores partes congestiones, et, quae ex illis sequuntur, haemorrhagias, effusiones, atque adeo denique paralysin, ac partium pressarum desorganisationem proferunt, atque hoc modo tot morborum semina spargunt. Vestes vero nimis laxae calorem animalem, vim electricam atque exhalationem non satis adjuvant: quod etiam multis rationibus valde noxium. Vestes igitur, ratione angustiae atque laxitatis habita, ita comparatae esse debent, ut liberae motioni et fluidarum et solidarum corporis partium non obstent, corporique eum caloris semper praebeant gradum, qui est gratissimus ejusque functionibus maxime conveniens. Qua vero in re permultum pendet a consuetudine, sicuti ab aetate, constitutione corporis, climate, anni tempore, ac regnante aëris conditione.

Quod autem attinet ad singulas vestes, prout diversas corporis partes obtegunt, hoc loco primo capitis vestitus mentione dignissimi sunt, qui, e pellibus aut lana parati, ad caput congestiones procreant, ideoque hominibus, ad odontalgiam, cephalalgiam, oculorum inflammationem, apoplexiam aliosque hujuscemodi morbos inclinatis, nocent. Ceterum, laneos galeros a potatoribus crapulam, sicuti capitis dolores arcere, minime constat, et situm esse potest in ea fabula, ex qua Bachus ejusque comites talibus galeris caput obtegendo ab iis malis, quae ex usu vini immodico sequuntur, sese de-

fendisse dicuntur. Quod ad pileos attinet, nigros magis calefacere, quam albos, ac nimis graves, caput nimiopere premere, notandum est. Aeneae militum galeae olim usitatissimae, valde fervefacientes, sanguinis ad cerebrum congestiones advocant, quare tam multi vitae periculum saepe adferentes casus oriuntur. Ut encephalitidis, ita et amaurosis eo majus apud milites sub itinere periculum, si galeis instructi sunt metallicis. Nigros militum pileos, nostra aetate solitos, non minus haud aptos equidem habeo, quum in universum corpora nigra magis, quam alia, calefaciant, istique pilei plerumque sint nimis magni ponderis. Muliebria capitis velamina, plerumque nimis levia, capiti ab externis injuriis bene defendendo non sufficiunt. Hoc loco capillamenta nonnunquam adhuc usitata obiter commemorare velim, quae, nisi quod pili contagiosis morbi materiis possint esse infecti, etiam tum nocere possunt, si arctius capiti adjacent, quo sanguinis in externis vasorum finibus impeditur circulatio. —

Indusia, quibus carere fere non possumus, hoc item loco memorari merentur. Lintea magnam in corpus nostrum vim certe exercent; quae quum densissima sint, proprii caloris parum, neque ullam vim electricam habeant, calorem perspirationisque materiam e corpore nostro tanquam eliciunt, hanc vero non dispergunt, sed liquor fit stillativus: quod post ardores, ubi corpus omnino madescit, optime observatur, quodque non solum quam molestissimum est, verum etiam ad refrigerationem et ad alia ex ea nascentia mala potest adducere. Indusiis ex panno laneo tenuiore paratis plus proprii caloris inest, quam ob rem corpori detrahunt parum caloris; exhalationem quidem adjuvantia secretas propter magnam panni lanei tenuioris porositatem materias iterum dispellunt, unde etiam in-

dusiis linteis anteferenda sunt. Indusia e panno linteo tenuiore confecta magna cum utilitate prae ceteris adhibita sunt in quibusdam morbis, ex quibus tantum arthritidem commemoro atque rheumatismum.

Quod attinet ad colli velamina, arctiores imprimis fasciae collares nocere possunt, dum collum, nobilem istum caput inter et truncum nexum, constringentes catarrhum suffocativum et apoplexiam advocare, sicuti etiam complurium aliorum morborum, ut cephalalgiae, vertiginis, etc. causam dare possunt. Imprimis arctiora colli velamenta sunt causa praecipua oculorum apud milites creberrime occurrentium inflammationum insultuumque apoplecticorum, sicuti aliorum malorum, quae ex sanguinis ad caput congestionibus oriuntur. Prae ceteris vero noxiae sunt fasciae collares, seris praeditae, dum non laxantur, colli ambitu per ardorem aucto. Inde in fasciis collaribus, sicut in omnibus colli tegumentis providentia saltem esset adhibenda, quam laxissime eas applicandi. Praeterea quoque fasciae collares faciei lineamenta afficiunt incommodo, in ea rugas, praecipue in oris angulorum regione, facientes, id quod in pueris potissimum respiciendum est, apud quos maturiore collarium usu saepe jam incipientis pubertatis annis lineamenta aetatem virilem indicantia sese ostendunt. Feminarum monilia, alienorum hominum capillis nonnunquam confecta, nocere etiam eo possunt, quod interdum materiis contagiosis sunt infecta, sicut exempla etiam exstant, ejusmodi monilia ulcera in collo provocasse.

Quod ad vestes thoracem involventes attinet, hoc loco praecipue usitati apud mulieres thoraces lintei considerandi sunt. Medici licet adversus hanc sanitati tam perniciosam moris inventionem summa

cum indignatione semper certaverint, et in praesenti adhuc rejiciant, nationale tamen praejudicium feminarumque libido saepe adhuc efficiunt, ut benevolo huic consilio non obtemperetur, unde quoque omnis thoracium linteorum muliebrium usus jam nondum ita, ut opus esset, repulsus est. Thoraces lintei muliebres eum finem, pulchriorem thoraci formam praebendi, habere deberent; sed ipsum non solum deformant, verum etiam praeter hoc vim in organismum perniciosissimam exserunt, quum in universum scilicet ipsi coni, acumine inferne versi atque hic decurtati, formam habeant, eorumque parietes aliquantulum modo sinuati atque concavati sint, quae forma naturae convenienti adversatur. Qua re, costis spuriis compressis, processuque xiphoideo presso introrsus, viscera urgentur, et ita digestio aliaeque eorum functiones turbantur; organica porro vitia in abdomine saepissime eo nascuntur. *Soemmering* apud feminas, linteo thorace firmiter constrictas, ventriculum non sine ejus functionum turbatione a loco suo valde remotum invenit. Columna vertebralis rectior cavumque pectoris arctius fit, quo asthma, impedita sanguinis per pulmones circulatio, palpitatio cordis et syncope efficiuntur. Pari modo longiore thoracium linteorum muliebrium usu columna vertebralis incurvatur, humerusque dexter, jam in statu normali propter majorem dextrae manus musculorum efficacitatem aliquanto altior, thoraculorum usu altitudine magis etiam crescit, quo tota columna vertebralis pelvisque deformatur. Thoraces lintei admodum longi, anterioribus temporibus praecipue usitati, qui coxendices adeo complectuntur, ossis ilei marginem etiam introrsus premere, pelvis cavitatem coarctare, foetus formationem impedire abortumque advocare, vel etiam partum praegravare

gravare possunt. Attamen ultimis graviditatis mensibus ipsi modo nocere posse videntur, dum primis mensibus foetus majore liquoris amnii copia, circumdantis eum, defenditur. Quin imo, ut multi affirmant, sterilitas orta iis esse dicitur. Adnotandum denique est, liberos debilesque mulieres, thoracibus linteis nimiopere adsuefactas, postremo sine iis non amplius absque labore sustinere sese vel movere posse, sed tum, imposito dorsi vertebris superioris corporis onere, totum collabi corpus, atque adeo syncopas apparere, propterea quod quicunque pressus mechanicus molle flexibileque mulieris corpus multo vehementius, quam virile afficit. Attamen quum thoraces lintei sint malum nostro tempori fere haud evitandum, eligantur saltem corpori minus noxii, e mollibus, elasticis materiis confecti, qui, quum non premant, sed cedant pressui, minimum modo detrimentum contrahunt. Quae de thoracibus linteis muliebribus dicta sunt, aliqua ex parte etiam de thoracibus linteis apud viros nonnunquam usitatis dici possunt, ubi quoque viros juventute firmiter ac continuo adstrictos annis serioribus gibbo aut altiore saltem humero laborasse experientia docuit; sicut in universum arctiores thoracem comprimentes apud viros vestes ad cerebrum atque abdomen congestiones advocant. Vestium arctarum, thoraculorum usus, quibus comprimuntur vasa cutanea, atque abdominalia, pulmones vero plus justo replentur, debilitantur, phthiseos pulmonalis causam occasionalem exhibet. Imprimis ejusmodi vestes talibus hominibus, continuo ac debilitanti labori intentis, nocent, id quod praecipue respiciendum est apud milites, qui saepe ex ea causa syncope, apoplexiae atque catarrhi suffocativi impetu aliisque ejusmodi malis corripiuntur, propterea quod sarcinis gravibus militis thorax satis premitur.

Qua in re praeterea admodum respiciendam esse externam cavi pectoris formationem, quisque intelliget.

Quoad femoralia potissimum memorandum est, ea praesertim, si sunt arctiora, magnum adferre incommodum. Nempe dum femoris vasa vel firmiore circum superam abdominis partem constrictione ejus musculos visceraque premunt, ea re functionum eorum turbationes atque impedita sanguinis in ipsis circulatio nasci possunt. Imprimis etiam hernias inguinales possunt procreare, quoniam annulus abdominalis in femoralibus etsi quam arctissime adsedentibus propter corporis nostri inflectionem in hac regione omnino liber manet, nec unquam proportioni convenienter premi potest. Ceterum an femoralia vulgaris causa tot morborum, majoris debilitatis atque mortalitatis sint, atque imprimis calor perpetuus, quo genitalia semper afficiuntur, mala tam perniciosa contrahat, sicuti an frequentes frictiones, quibus exposita sunt genitalia, sui ipsius contaminationes advocent, ut quidam contenderunt, hac de re jamdudum dubitatum est, quamquam, femoralia ut causas simul cum aliis agentes ad procreandum morbum multum posse conferre, negari non possit. Sic e. g. usu nimis arctorum femoralium, quibus mechanice premuntur viscera, sanguinisque ex abdominis vasis refluxus retardatur, ad haemorrhoides dispositio quam facillime nascitur. Imprimis quoque usitata apud feminas femoralia obstructionem alvinam advocare dicuntur; sicut etiam, hanc obstructionem, abjectis femoralibus, sponte recedisse, observatum est. Propter hanc rem aliaque mala, quae femoralium apud feminas usui attribuuntur, nonnulli medici illorum apud feminas usum omnino rejicere volunt. Eodem modo omnes quoque, quae abdomen arcte circum-

dant, fasciae, ut pulchrior huic reddatur forma, noxiae sunt organismo. Restricti continuo, ac planam, vel concavam adeo in formam coacti abdominis musculi, extenso quidquam per foetum utero nimis resistunt, tenduntur; saepiusque visum est, ac si non tam ipsius hujus visceris, quam abdominis, extendi ulterius nescii, morbosa sensibilitas, praecoces ad partum dolores et abortus provocasset. Ceterum fasciarum corporis usum ad quendam curae finem assequendum non posse rejici, cuique liquet; ac re vera hac ratione frequenter non sine commodo adhibentur. Uterum feminae, vix a partu liberatae, ultra vires dilatatum, in minus volumen redigunt, sanguinisque jacturam compescunt fasciae, laxo ac pendulo abdomini, sub debita cautela, circumdatae. In hydrope ascite remota aqua fasciae abdominales necessariae sunt; quibus neglectis lypothimia et mors interdum accidit, ut saepius factum, antequam *Monrous* fasciam sub paracentesi applicandam proposuisset.

Tibialia quoad materiam, qua constant, et quoad formam vim in corpus nostrum diversam exercent. Lintea imprimis tibialia augendo exhalationem, secretas vero materias non emittendo saepe nocere possunt. Tibialia e panno laneo tenuiore confecta longe meliora, compluribus in morbis, ut in arthritide, praecipue utilia sese praebuerunt. Quod ad formam attinet, tibialia in universum non nimis arcta esse, neque firmius applicatis periscelidibus adligari debent. Ut nos excultarum civitatum incolae pedum digitis ad negotia exsequenda functionesque manuum adjuvandas minime, aut parum modo possimus uti, aliqua ex parte arctorum tibialium a prima infantia usus fortasse efficit, quo pedum digiti contra naturam formantur, musculique et ligamenta, efficacia esse non bene valentia, laxan-

tur. Atque re vera, nationes, quae a cunabilis non coopertis pedibus utuntur, variis scitissime fungui negotiis ope pedum digitorum posse videmus, sicut etiam apud nos nonnunquam invenimus homines, qui, brachiis orbati, pro his utuntur pedibus, quorum digitis eadem arte, qua ceteri manibus, diversa negotia exsequuntur. Hoc loco tibialia quoque, quae adstringuntur, memoranda sunt, quae imprimis in curationis finem adhibentur, e. g. in oedemate extremitatum inferiorum; attamen plerumque habent id incommodi, quod pressionem inaequalem efficiunt, ac ipsorum usus in anasarca a debilitate universali suspectus est; aquae enim ad pedes deponi impeditae facile viscera nobilia petunt, atque hydrothoracem aût apoplexiam inducunt.

Calcei nocere possunt, si sunt nimis arcti, dum callos, clavos, articulorum rigorem, aliaque organica pedis digitorum vitia contrahunt. Praecipue etiam nocent, si tentipellii forma in conficiendis iis adhibita utrimque omnino aequaliter exsinuata est; planta enim pedis in utroque latere non aequaliter est sinuata, sed major ejus sinuatio introrsus in tuberositate ad pollicem pedis sita adest. Quam ob rem ista calceorum forma digitus major ad alios reprimitur digitos; unguis increscit, atque in externo tuberositatis ad pollicem pedis sitae ambitu calli vel clavi nascuntur. Ejusmodi quoque calcei plantae pedis in eundo auctae non sunt apti, unde digitos superponi atque premi necesse est; quid multa? totus pes paralyticus, et ad agendas partes eas, quas debet suscipere, inutilis redditur. Hoc praecipue apud feminas, non ita apud viros occurrit. Ceterum imprimis noxiae sunt alioquin usitatissimae posticae partes calceorum altiores, quibus punctum gravitatis loco movetur, et in partem anteriorem cadit, unde sequitur digitorum curvatio, incessus haud

certus, deinde astragali ossisque calcanei luxatio, columnae vertrebralis inflexio, pelvis coarctatio, eaque re abortus ac partus difficiles advocantur. Neque minus detrimentosi erant olim usitati calcei fibulis praediti, quae pressu suppositorum nervorum vasorumque functiones impediebant. Quae de calceis dicta sunt, etiam de caligis, et de brevibus, et de longis, valent; de his vero praesertim et hoc, quod de tibialium forma supra memoratum est. Arctioribus pedum tegumentis varices in extremitatibus inferioribus crebro oriuntur, sicuti etiam apud pueros ante caligarum vel calceorum usum hac re effecta refrigeratio occurrentem hydrocelem saepissime advocare fertur.

VITAE CURRICULUM.

Ego *Bartholomaeus Carolus Ferrari,* catholicae fidei addictus, natus sum Paderbornae, urbe Guestphaliae, die quinto Julii anni millesimi octingentesimi quinti, parentibus dilectissimis, quos adhuc superstites pia mente veneror. Primis literarum rudimentis tam privata, quam publica institutione instructus, gymnasium, quod in urbe patria adhuc floret, Theodorianum, adii, ibique per septem annos in omnes doctrinas, quae ad studia academica viam munire solent, quanta in me fuit diligentia, incubui. Deinde examine abiturientium absoluto anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto Universitatem literariam petii, Georgiam Augustam, Goettingensem, et die vigesimo nono Octobris ab Illustr. *Staeudlin,* t. t. Prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, hisce per biennium interfui praelectionibus:

Illustr. *Mayer* de physice experimentali; Illustr. *Thibaut* de mathesi pura; Illustr. *Stromeyer* de Chemia theoretica atque de pharmacia; Illustr. *Schrader* de botanice, tam generali, quam pharmaceutica. Illustr. *Blumenbach* de historia naturali, atque de anatomia et physiologia comparata, Cel. *Hempel* de physiologia, osteologia, syndesmologia atque myologia disserentes audivi. Illustr. *Conradi* pathologiam et therapiam generalem atque nosologiam et therapiam specialem, Illustr. *Himly* ophthalmologiam atque doctrinam de morbis aurium, Cel. *Kraus* materiam medicam mihi exposuerunt. Illustr. *Langenbek* chirurgiam generalem et specialem, akiurgiam, splanchnologiam, angiologiam et neurologiam mihi tradidit. Artem, cadavera dissecandi, Illustr. *Langenbek* et

Cel. *Hempel* me docuerunt; nec minus clinicis exercitationibus chirurgicis duce Illustr. *Langenbek* adfui.

Quibus absolutis anno millesimo octingentesimo vigesimo sexto Berolinum profectus sum, ubi in Universitate literaria Friderica Guilelma ab Illustr. *Lichtenstein*, t. t. Rectore magnifico, die vigesimo tertio Novembris in numerum civium academicorum receptus et ab Illustr. *Rudolphi*, tunc medicae Ordinis Decano, medicinae studiosis adscriptus sequentes audii lectiones:

Apud Illustr. *Horn* therapiam specialem, doctrinam de morbis psychicis et syphiliticis, apud Illustr. *Casper* medicinam politico-forensem, formulas medicas concinnandi artem, atque doctrinam de morbis infantum. Illustr. *Juengken* ophthalmiatricem, Illustr. *Rudolphi* anatomiam pathologicam et anatomen organorum sensuum foetusque mihi tradiderunt. Chirurgiam generalem et specialem Illustr. *Rust*, artis obstetriciae partem theoreticam et practicam, atque doctrinam de ossibus fractis et luxatis Illustr. *Kluge* me docuerunt. Ad akiurgiam et exercitationes operationum Illustr. *Rust* et Illustr. *Kluge* me instituerunt. Exercitationes clinicas medicas in policlinico Universitatis duce Perill. *Hufeland*, et in clinico medico nosodochii Caritatis duce Illustr. *Bartels*, chirurgicas in instituto clinico nosocomii Caritatis chirurgico et ophthalmiatrico duce Illustr. *Rust*, et obstetricias in instituto nosodochii Caritatis duce Illustr. *Kluge* adii.

Ut satisfacerem officio militari, per annum praeteritum in legione pedestri, quae Alexandri Imperatoris nomine gaudet, chirurgi centuriae munere functus sum.

Tentaminibus, philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione conscripta thesibusque rite defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Pulsus per se signum diagnosticum certum morborum non suppeditat.

II.

Fibrae, quae in utero humano, praesertim gravido, inveniuntur, non sunt musculares, sed sui generis.

III.

Ad aperiendum abscessum incisio magna praeferenda est parvae.

IV.

Remedia universalia non existunt.

V.

Excretiones in morbis valde respiciendae sunt.